



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si  
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas  
Semper Adest**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§. 10. Apostolorum patrociniū sortiendi exemplum & antiquitas in S.  
Andrea Apostolo, repudiato quidem, & tamen propitio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

etè eiusmodi matres sua curiositas plectit, semper enim postea anxie metuunt, quod superstitiosè crediderunt.

## §. X.

*Apostolorum patrocinium. sortiendi exemplum, & antiquitas, in S. Andrea Apostolo repudiato quidem, & tamen pro-*  
*pitio.*

Istam porrò Sanctos sortiendi consuetudinem non nouam esse, docetur eo argumento, quia ante annos plus, quàm quadringentos, eius consuetudinis meminit Bernardi æqualis, & ex eodem ordine, Cæsarius Heisterbachiensis, cuius hæc sunt. *Consuetudo est maxime prouincie nostræ matronis, ut tali sorte specialem sibi Apostolum eligant. In duodecim candelis duodecim Apostolorum nomina, singula in singulis scribuntur, quæ à sacerdote benedictæ altari simul imponuntur. Accedens verò femina, cuius nomen per candelam extrahit, illi plus ceteris & honoris, & obsequij impendit. In hunc modum cum quadam matrona S. Andream extraxisset, & non ei placuisset, repositâ candelâ, alium habere voluit, sed iterum idem occurrit. Quid plura? tandem traxit sibi placentem, cui cum multum exhibuisset obsequij, per omnes dies vitæ, & ad ex-*  
*trema*

Cæsar.  
lib. 8.  
Mirac.  
c. 56.

extrema perueniens esset moritura, non illum, sed  
B. Andream sibi assistere vidit. En, inquit, ego  
sum ille despectus Andreas. Ex quo colligitur,  
quod nonnunquam Sancti etiam ultro se inge-  
rant humana deuotioni. Quod cur faciant,  
etsi inter arcana Dei sit habendum, tamen  
etiam bonitati eorum adscribi potest, vt  
qui vel spernentes se; non spernant; immo  
benefacere his, qui oderunt illos, possint.  
Quanto autem magis diligētes se diligent,  
& cultoribus suis patrocina buntur? Ne-  
que præiudicium fit alijs, si vnus altero co-  
latur impensius; non enim idcirco hic san-  
ctior, aut ille impotentior censetur, in ad-  
miniculando; sed cum vniuersim omnes,  
tanquam *nimis honorati amici Dei*, tum in  
Litanijs, tum in alijs precibus inuocentur;  
vnus eligitur alteruē ab hoc, alius ab alio,  
vt etiam peculiariter colantur, perq; hunc  
peculiarem affectum Mundo magis inno-  
tescant. Cum autem etiam in magnis au-  
lis aut conuiujs, etsi omnes serui conuiujs  
omnibus honorem exhibeant, tamen *alius*  
huic, alij alius astare seruireque iubeatur;  
cur nō & diuina sapientia Sanctis suis pro-  
uideat seruos & seruis Sanctos peculiare?  
Immo prouidet. Hinc vel ab ipsis Sanctis

Sancti aliqui præcipuo amore atque honore culti fuere, Sic culti sunt, à Basilio & fratre Nysseno, Martyres quadraginta; itémque Theodorus. Sic cultus est à Chrysostomo Paulus, ab Augustino Stephanus, à Gregorio Andreas, ab alijs alij. Neque putandum est, esse inter Sanctos æmulationem; nullus alteri invidet; nullus existimat, se iniuria affici, quando alter honoratur. Alioqui etiam Ecclesia nullam auderet orationem ad D. Martinum fundere, ne D. Georgius offenderetur; aut, cum S. Nicolai festum celebrat, metuendum esset, ne S. Dionysius læderetur. Certè multi beneficio obstricti videntur, vt vnum Sanctum præ alio venerentur. Cur enim S. Benedictum PP: Benedictini, S. Bernardum Bernardini, S. Franciscum Franciscani, S. Dominicum Dominicani, S. Norbertum Norbertini, & qui S. Ignatij instituta sequuntur, S. Ignatium peculiaribus obsequijs nõ venerarentur? Colit quisque ducem suum, eumque meritò censet honorandum, quem ei Deus dedit imitandum. Dare autem solet, non modò per vocacionem, sed etiam per sortem.

§. XI.